Księgi

Opuscula in his miscellaneis sub W^ro^ contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sin ht.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675.
3. Inaccessa Sanctissima Virginis Montana ꝑ Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas Sacra claromontanæ Imaginis ꝑ Dionys. Chesstowski. O.S.Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Oraculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski Crac. 1668. simil. n° 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Seb. Piskoski versib. dem. Crac.
7. Theatrum Marianum.. in nemore Lezayscensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.
8. Kazanie przy tuszym solenn^m^ Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bl. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gninskiego na Ur. B. Stan. Kostk. 1687 miane. w Krak.
10. Korona z pochwał SS dwóch uwita ꝑ X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11. Laska i pieczęć nadwornia Niebieska. czyli Kazanie na S. Jan. Krzciciel. i Jan. Nep. ꝑ X. Fortunata Łosiewskiego^+^ w Krak. 1732. ^+^ Franciszkana.
12. Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xiężn. Ostrogskiey ꝑ Woyc. Czarnock^o^ S.J. Krak 1636
13. Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie ꝑ X. Fortun. Łosiewsk^o^ Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie ꝑ X. Marcelli Dziewulsk^o^ Franc. Krak 1725.
15. Acumen Doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. ꝑ Matthæu Jos. Kolędowicz Crac 1721.
16. Ad mentem Patriæ caput Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatu a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17. Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687.
18. Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiołek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19. Dissertationes sup rubricas de Sepulturis et sumptib. funer. ꝑ Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20. Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński ꝑ Seb. Portowski. Crac. 1712. orat.
21. Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
    Encomium ad solemnes exequias
    In obitum Seren^mi^ Principis } deficiunt.
    Jactura orbis Literarii transmissa
22. Xiężyc JW Lelivy w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak S.J. 1729. Księżyc
23. Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria Sæculorum in obitu Aug. II. ꝑ Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25. Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versus lat. et pol. ꝑ Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26. Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stokowski porrecta ꝑ Joan. Byszkowski Crac. 1672 orat.
27. Monumentum aureæ bipenni exsculptum in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. ꝑ St. Jos. Bieżanowski Crac. 1677. orat.
28. Munus et dolor Sæculorum Stan. Dębski Eppus Crac. comploratus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini ꝑ Ant. Jos. Łożędziowski descripta Crac 1750. Poesis.
30. Splendor Korybuthei sydeis in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine consecratus Crac. 1676.
31. Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chometowski ꝑ X. Brun. Osiecki. Z.S.P. Capt. 1729. Kazanie
32. Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythw. a Carolo Trewani paneg. consecr. Crac. 1676.
33. Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraż a Nic. Grodzienski Crac. 1631. elogia.

~~34.~~ Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

- Anonymus 1, 16, 18. 21. 22 23. 28.
- Agnensis Joan. Bapt. 2, 5.
- Bieżanowski Stan. Jos. 2, 5, 27.
- Brocki Mathias 30.
- Byszkowski Joann. 26.
- Bytomski Joann. 7.
- Chesstowski Dyonysius O.S.Paul. 4.
- Czarnocki Woyciech S.J. 12.
- Dzidowski Joan. Stan. 17
- Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr. 14.
- Gninski Jan Chryz. Benedykt 9.
- Grodzienski Nicol. 33.
- Herka Jgnat. Cant. 24.
- Kolędowicz Mathæus Jos. 15
- Lipiewicz Andreas 19.
- & X. Antoni O.M. 10
- Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr. 11. 13.
- Osiecki X. Bruno Z.S.Paul. 31
- Piskorski Sebastianus 6
- Gromnicki Thomas - - - 3.
- Rzewuski Stanislaus 25.
- Szczaniecki X. Stefan S.J. 8.
- Portowski Sebastianus 20
- Trewani Carolus 32
- Łożędziowski Ant. Jos. 29.

DOLOR
PATRIÆ
ÆTERNVS,
ECCLESIÆ
IMMORTALIS,
OMNIVM
PERENNIS,

Ex nunquam deplorando ſatis obitu
CELSISSIMI PRINCIPIS
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini
D. CONSTANTINI FELICIANI
IN SZANIAWY
SZANIAWSKI,
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ,
Lugubri Calamo & Elogio
Obligatiſsimæ Polonæ *Scholarum Piarum* Provinciæ
SVO PROTECTORI,
& Collegij Cracovienſis
FVNDATORI,
inter parentales lachrymas
EXARATVS.

Anno dolentis in Carne Humana DEI 1732.
Die 29. Julij.

CRACOVIÆ, Typis Jacobi Mátyaſzkiewicz, S. R. M. Celſiſſimi Jllustriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ, Ordinarii Typographi.

19

Magni vulneris DOLOR nulla diuturnitate temporis aboletur, *Symmachus.*

Funus nobis ille eſt; magniquè vulneris continuus DOLOR. *Puteanus in funere Lipſ:*

\- - - - - Æther ignoſce DOLORI
Hîc Superûm quoq; cauſa labat - - - -
Collegiũ Reſſovienſe Schol: Piar: in funere Hieron: Auguſt: Lubomirski.

Omnes mæror habet deplorat Patria Patrem,
Magna Domus magnum Columen, Reſpublica Civem,
Et Patrem, & Columen, Protectoremq; Ducemq;
Spem, decus, auxilium.

Idem Ibidem.

ILLVSTRISSIMIS
&
EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

IOSAPHATO

SVBDAPIFERO REGNI,
Chęcinensi, Małogostensi, &c.
C A P I T A N E O.

F A B I A N O

V E N A T O R I M. D. L.
Sochaczouiensi, Czerkassiensi, Mostoviẽsi, Radżicensi &c.
C A P I T A N E O,

S T A N I S L A O

AVGVSTOVIENSI &c. CAPITANEO

SZANIAVIIS,

Dominis & Mecænatibus
Amplissimis.

F*Vnestus magni* PRINCIPIS CONSTANTINI *Casus non vestrum duntaxat ad lachrymas contrivit pectus, Orbem totum hæc ruina premit, & ducta ab imò cordis meditullio exprimit suspiria. ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI.*

Ara

Aræ Præsulem, Curia Senatorem, Patria Civem, Oves Pastorem, unà pupillà unicum omnium deplorant Iubar. Nosquoq; in luctus & lamenta crescimus, dum hic in tumulum decrevit Gigas. Nostræ enim funus felicitatis agitur, spes communis & Nostra, unius animà exspirant. Vno funere universa munificentiæ pignora efferimus, unius morte sternimur & exanimamur. Dolorem igitur in pagina ferimus eumq; æternum, quòd nullas sibi polliceatur inducias, non ad horarias lachrymarum clepsydras, sed sæculorum lapsu metiendus. Si quid autem solatij immensus etiam admittit luctus, illud erit, si Magni Patrui Nepotes Maximos, tamdiu superstites viderit, quamdiu supererit Patria quam defendatis, Curules, quas occupetis, purpuræ quas induatis, Scholæ Piæ, quas protegatis

Ita Vovet

ILLVSTRISSIMIS DOMINATIONIBVS VESTRIS,

Devinctissima

Scholarum Piarum
Polona Provincia.

ECCLESIA
ANTISTITI.
D. O. M.
Marmor quod cernis Viator,
lapis offensionis est.
Offendit ad illum, qui sinè offensa vixit.
Nomen illius quæris?
CONSTANTINVS FELICIANVS
In SZANIAWY
SZANIAWSKI,
Penes demissionem animi,
meritis & honore
CELSISSIMVS.
Penes modestiæ umbram,
titulis & Nomine
ILLVSTRISSIMVS.
In omnibus & ad omnia
pro DEO, Rege, & lege
DVX & PRINCEPS.
In Ceris speciem,
in moribus innocentiam AGNI prætulit,
mitissimus ipse virtuti AGNVS,
Leo sceleri formidandus.
Implevit Insulas capite,
meritis & famà mundum.

P R Æ S V L
ferreo hoc sæculo verè aureus.
Sinè fastu gravis,
sinè fictione affabilis,
sinè felle bonus.
Vladislaviensem primò,
dein Cracoviensem tyaram induit;
utroq; tamen capi non potuit,
major quibusvis honoribus,
quos à Regibus dignè, à meritis accepit justè.
Sacrum indutus muricem,
ut Regi sæculorum in trabeis litaretur,
providit liberaliter.
Augusta supellectile ditavit aras,
ipse aris dignus.
Homines exemplo,
templa ære proprio ædificavit.
Frangens hæreticorum pertinaciam,
fidem integravit concussam,
& ipsa errorum clade, firmavit veritatem.
Vigilantissimus pro grege Pastor
defuit plerumq; sibi, ut ovibus non deesset.
Subtraxit negotijs tempus, ut suorum saluti daret.
Deniq; cum pro DEO & Ecclesia egisset omnia,
ipsam egit animam.
Annus
supra millesimum septingentesimum trigesimum secundus
illi ultimus fuit,
Dum diem secundam Iulij volvit ad occasum,
umbris Sepulchralibus involvit
CONSTANTINUM.

AUGU-

AUGUSTUS II.

OPTIMO OPTIMATI.

D. O. M.

Occidit æterno Sole & meridie dignus
CONSTANTINVS.
Charactere Pontifex, purpura Senator,
utroq; Magnus,
Si in Curia majestatem spectas?
nec Iupiter,
si in Consilio efficaciam perpendis?
nec Consus,
si ad aras religionem consideras?
nec Numa par illi fuit.
Rhetorum ingenia operum magnitudine,
Oratorum lingvas famæ classico,
Vniversorum oculos admiratione excessit.
Exemplar futurus posteris,
nisi ea exhibuisset vivens,
quæ imitari vix audebunt summi,
timebunt optimi.
In opem laborantis Ecclesiæ se effundebat,
& simul Regni absorbebatur negotijs.
Cathedram Præsularem occupabat,
& Curuli non deerat Senatoriæ.
Aris assistebat, Throno præsentissimus.
Mysticus pariter ac Politicus,
consultam Templo Sanctitatem,
& Sanctum Curiæ consilium intulit

æquali ubiquè majestate.
Tyaram gessit capite,
coronam etiam potuisset.
Tam exactus in negotijs,
ut Sceptri opera, Præsuleo perficeret Scipione,
Obivit Regni munia,
donec Supremum obiret diem.
Tractavit pacis negotia,
donec in tumulo quiesceret.
Deniquè ereptus tempori, redditus æternitati,
omnibus acceptus Princeps.
Plorat extinctum Majestas,
quem mors ipsa fleret, si oculis non careret.
Metire Orbis ex lachrymis jacturam!
cui ipsa Regni SERENITAS indolet.
Quem non tangit, nisi orbis totius casus,
sub tanti funeris pondere
solvitur in lachrymas,
A V G V S T V S,
S E C V N D V M se non existimans,
ubi suum amisit
F E L I C I A N V M.
Sta qui hæc legis, & compatere!
Viventi *S E R E N I S S I M O*
dies sinè nube inocciduos,
mortuo P R I N C I P I
beatam precare æternitatem.

RE-

REGNUM
PACIFICATORI
D. O. M.

Lege Viator, & luge!
ſub hoc marmore proſtratus jacet,
per quem publica Regni tranquillitas ſtetit,
májor ſeipſo
CONSTANTINVS.
Princeps Pontificum, & Principum Pontifex.
Ortu, vitâ, obitu,
infra fidem, ſupra opinionem.
Vixit gloriæ ſatis,
Civibus quantum licuit,
totus Patriæ, ſibi nullus,
omnibus omnis.
Vt armis Civilibus concuſſa reſpiraret Polonia;
laboravit ad exſpirium.
Vt leonum inſtar ferocientes miteſcerent animi,
ſuam in AGNO Patritio oppoſuit innocentiam.
Bellis indixit bella,
& utriq; arma ſtringentium aciei congreßus intrepidè;
pro lauro pacis oleam reportavit.
Vno ſuo Capite
innumeras manus exarmavit.
Vnico argumento, millia furorum compeſcuit.
Ita graviter locutus,
ut ſentirent verborum pondus
animi ad concordiam inclinati.

 Verè

Verè
thaumaturgus STANISLAI Successor in Cathedra;
ille triennalem fecit vivere in Petro mortem,
hic plurium annorum cadaver
Poloniam ab inferis revocavit.
Aureâ prudentiâ ferrum compressit,
fuso sudore sangvinis prodigalitatē stitit,
calamo lecta in alas delevit castra.
Sic Antistes Integerrimus
ut Patriæ integritatem servaret,
scissos per diffidentiam Cives
ad unionem còégit unus,
gemmis & unionibus æstimandus.
Sed qui Matrem fregit,
fractus à morte,
quiescit in tumulo,
publicæ quietis Author.
Inimica Lachesis
exemplô Caligulæ
unam flagitabat Cervicem,
in qua Regnum jugularet,
& tale Præsulis invenit Caput.
Luget jacturam Polonia,
& super hoc mortis lapide
Mater Filio
parentat immortaliter.

SENA-

SENATUS
SUO PURPURATO
D. O. M.

Lugubre Spectaculum Viator!
Celsissimus in terræ profundo,
Illustrissimus in mortis umbra,
PRINCEPS in Sepulchri Solitudine,
Præsul pro Cathedra in Sandapila
CONSTANTINUS.
Pallet tristi letho Poloniæ Purpuratus,
erga Reges candidus,
erga Patriam propensus,
erga Cives benevolus
Sub avito AGNI Stemmate natus,
vitam Saluti publicæ in victimam immolavit.
Amore boni communis tamdiu arsit,
donec Solutus in cineres,
ætatum, hominum, Orbis
Phænix.
Pro Atlante cælum succollare,
pro Iove Sceptra tenere potuisset,
ita capacem manum habuit,
sed magis Caput.
Senator
aut sub Sole unus, aut Sol omnium.
Inter violas Episcopales florentissimus,
inter purpuras non erubescendus.

Eruditione maximus,
facundiâ non postremus,
consilio secundissimus.
Naturam nactus cum hominibus,
ingenium supra homines.
Vir omni comparatione major
nisi quod æqualem omnibus se æstimaret.
Consiliorum Anima,
Pupilla Regum,
Gemma Coronarum.
Quidquid dixit, plusquam humanum;
Quidquid egit, prorsus Divinum,
Sæculis prodigium,
Æternitati honor,
Oratoribus paradoxum.
In Comitijs
pro lege, Rege, & Regno ita locutus,
ut nemo auderet corrigere,
nisi qui erraret pessimè.
Pro Iove ad DEOS Mercurius,
pro Pyrrho ad Romanos Cyneas
ita peroravit.
Sed heu dolor!
ipsa die Mercurij æternùm obmutuit
toto Vocalis orbe
CONSTANTINVS
horâ post meridiem octavâ,
sibi ultimâ
vitæ æternæ primâ.

ORDO

ORDO EQVESTRIS
SVÆ LIBERTATIS VINDICI.

D. O. M.

Polona Aquila
lugubres clangores ingemina!
Sol Tuus occubuit
CONSTANTINVS.
Mentis Celsitudine ultra omne fastigium,
animi demissione infra omne profundum,
virtutis constantiâ supra omne exemplum magnus:
Ecclesiæ & Patriæ divisus obsequiô,
integer Conscientiâ.
Annos omnes utriq; vixit, sibi nullos.
In publico plusquam Princeps,
in templo plusquam Pontifex,
in Senatu plusquam Consus,
majestatem exhibuit,
pietatem coluit
consilia ministravit.
Nunquam ascendit Curiam,
quin ad boni publici Curam descenderet.
Nunquam in Curuli sedit,
quin pro Civium indemnitate staret.
Pius, zelosus, sollicitus.
Caput objecit periculis,
ut membra Reipublicæ conservaret.
Spinas anxietatum excepit pectore,

ut ſalus publica roſis incubaret.
Scelerum exoſus licentiam,
Civium libertatem amavit.
Hujus aſſertor non frigidus,
in publico Comitiorum æſtu fervidius peroravit.
Multorum levavit caſus,
caſibus humanis altior.
Nobilium Filios, quos Fortuna deſtituit,
curavit tanquam Pater.
Vt in capita evaderent,
manum liberalem porrexit.
Vt Palladi militarent,
belli eruditi nervô pecuniâ inſtruxit.
Sed dum fortunæ Civium Tutelarem agit Angelum,
homo eſſe per mortem deſijt.
Menſis Auguſto prævius
auguſtam corpori eripuit animam,
ut Cælo daret.
Ante meſſem adhuc
optimæ frugi PRINCIPEM
mortis falx demeſſuit,
ut maturum gloria demonſtraret.
Abijt ex vita,
ſed non ex memoria poſterorum.
Servant in corde Quirites mortuum,
quos ſuo capite ſervavit vivus.
Sic dum alij Præſules ſimul vittam deponunt & vitam,
hic cum nullum nunc vivat diem,
omni Superſtes ævo ipſa viget æternitate.

SEVE-

SEVERIA
SVO DVCI.
D. O. M.

Disce Viator ex casu
CONSTANTINI,
quam instabilis sit vitæ humanæ status.
Dux, Senator, Pontifex fuit, & omnia,
momentô nihil:
Vixit ut pauci, egit ut rari,
mortuus ut omnes.
Quidquid inter homines
Sanctum, mirabile, Divinum,
prima illius qualitas, aut potius natura fuit.
Ore disertus, Corde devotus,
Manu beneficus, Capite eruditus.
Alter Poloniæ Salomon audire potuit,
nisi quod thronum non circumdedit leonibus.
Sinè expectatione accessibilis,
sinè metu affabilis,
sinè colore candidus.
Supra humana eminuit,
& ad infimos se demisit.
Vt Numen colebatur à singulis,
& cum omnibus egit humanissimè.
A levitate alienus
nemini gravis extitit,
nisi gravitati scelerum.

Nemini formidabilis,
nisi formidini delinquentis Conscientiæ.
Cum Regni tractaret negotia,
majus de seipso negotium facessebat Patriæ.
Cum causas judicaret subditorum,
optima omnium judicia merebatur.
Ferebat Sententiam,
qualem Numen ferret.
Nihil decidit
absq; veritatis consilio.
Nihil probavit,
quod Cælum improbaret.
Ne reos respiceret,
ad legum tabulas deflexit oculos.
Omnibus acceptus,
quod nullius personam acciperet.
Verus Areopagita!
Sine oculis, sine manibus,
non sinè lumine, non sinè palmis.
Causarum momenta momentô solvit.
Lites partium sinè difficultate composuit,
ad virtutis regulam compositissimus.
Deniquè
PRINCEPS æquissimus
cum ùnicuiquè quod suum est, reddidisset,
etiam debitum mortalitatis solvit.
Anno ætatis sexagesimo quarto,
sibi ultimo.

PROSA-

PROSAPIA
SVO ORNAMENTO.
D. O. M.
Amici date lachrymas
CONSTANTINO,
à quo Solatia accepiſtis.
Salſæ doloris Filiæ
Patriæ parentent Patri.
Dignus lugeri ab omnibus,
qui nihil lugendum egit.
In vita morali Sanctus,
in Civili Vrbanus,
in utraquè perfectus.
Illuſtris avorum Ceris, factis illuſtrior.
Domui famam genuit, à qua genus accepit.
Faſtos implevit gloriâ,
orbem Nominis magnitudine.
Sui ævi Delicium,
præſentis deſiderium,
futuri ſuſpirium.
Ita vitam duxit,
ut conſcientiam non ſeduceret.
Ita rubebat purpuris,
ut non erubeſceret.
Ita Európæ Regna in ſui admirationem traxit,
ut magnes eſſe crederetur.

D Illum

Illum
biceps Imperij Aquila ut Solem,
Caput Orbis Roma ut Coronam Patriæ,
Regnum Liliorum Gallia ut Florem purpurarum,
ſuſpexit, æſtimavit, adoravit.
Orbi notus,
orbem totum novit.
Regnorum Status & caſus ita perſpectos habuit,
ac ſi videret.
Stator Poloniæ caſibus humanis altior.
Cum tamen ſciret omnia,
ſuam neſcivit magnitudinem.
Ex ſublimi conſangvinitatis arbore
nihil præter umbram
ex alto profundiſſimæ eruditionis,
nihil præter ſundum,
ex tot titulorum ſerenitate
nihil præter nubem ambiendo.
Sed heu dolor!
Virtuoſiſsimus PRINCEPS morbi contraxit Vitia.
Malignis accenſus febribus
frigore mortuali obriguit.
Poſtquam AGNI Patritij vellus
Senatui in purpuras,
Ordini Equeſtri in togas,
Bellonæ in militare Sagum dediſſet,
etiam Libitinæ in pullatos amictus ceſſit.
SEMI-

SEMINARIA
ERECTORI.
D. O. M.
Ingemiſce, qui legis!
profuſiſsimum in gratias PRINCIPEM
crudeles eripuerunt Parcæ.
Iacet proſtratus fatis
CONSTANTINVS,
qui Præſuleô ſedit ſoliô,
nè pauper ubiquè jaceret.
Purpuram idcirco induit,
ut Irus centonem exueret.
Liberalis ultra omnium exempla,
profuſus ultra ſua proventa,
beneficus ultra pauperum vota.
Fortunæ ſuæ damnis felices fecit,
quoſcunque ſors deſtituit.
Dotavit famulaturas DEO animas,
nunquam divitiarum mancipium.
Occultæ egeſtati occulta ſuccurrit ſtipe,
ſatis publicum arbitratus,
ſi ſuperos non lateret.
Ad vultum & aures admiſit ſupplices,
non depreſsit ad plantas.
Sine dejectis ad pedes amplexibus ſuccurſu pronus,
ſinè implorationum cenſu beneficus,
ſinè diſerto gemitu impetratus.
Vota præveniebat ſupplicum,
ipſe ad votum omnium.

Rogari non sustinuit, ut erogaret.
Prodigus usque ad prodigium.
Superis etiam dedit munera,
ipse Superûm grande munus.
Proprium thesaurum diminuit,
ut DEI augeret gloriam.
Vladislaviæ splendidè
Kielcijs magnificè,
supra *Vavellum* sumptuosè
nova de planta erexit Collegia,
ut in Clero plantaret pietatem.
Verè missus à DEO Pontifex!
ut post fata etiam in Viris Apostolicis
legatione pro Christo fungeretur,
Missionarios Stradomiæ ad Cracoviam
numero & ære auxit.
Errare nescius,
Domum Correctionis instauravit *Lipoviecij*
ne quid inemendatum relinqueret.
Hunc solùm in vita commisit excessum
quod omnes munificentiæ gloria excessisset.
Adeo liberalis,
ut nec famam liberalitatis retinere vellet,
nec laudum avarus esset.
Tantô dona sua prosecutus odio
ut mentionem quoquè illorum horreret.
Demum cum pro DEI nomine largiretur omnia
animam etiam DEO obtulit
Die Iulij secunda
Cælis secundissima, terris infaustâ.

COLLE-

COLLEGIUM
CRACOVIENSE
SVO FVNDATORI.
D. O. M.
Occidit, qui aut nunquam oriri,
aut nunquam occidere debuit
CONSTANTINVS.
Ecclesiæ utilis,
Regno necessarius,
Populo proficuus,
zelo, consilio, pietate.
Implevit faldistoria Pontifex,
occupavit Curiam Senator,
sedit in Tribunalibus Iudex
Sanctitatis gloriâ, prudentiæ perspicaciâ
justitiæ famâ, ubiq; Princeps.
Laudanda egit, & laudari noluit.
Ad omnia Patriæ prodivit munia,
& secum mansit.
Mirabilis eloquiô,
Divinus consiliô,
humanus obsequio.
Scholas Pias affectu fovit,
ipsemet pietatis Academia,
Sapientiæ Vniversitas.

E Ponti-

Pontificium Scipionem ideò visus stringere,
ut labentia illarum fulciret commoda,
Romanis major Scipionibus.
Collegio Cracoviensi
quantum corde & manu profuit,
supra caput & captum est.
Dignus templis & aris Pontifex,
Ecclesiam primi lapidis impositione inchoavit,
gratijs promovit,
mystica Sanctificatione perfecit.
Non priùs consumptus,
quam captas Divino Numini Ædes consummâsset.
Non priùs extinctus,
quàm votivas aris ceras accedisset.
Deniq; cum in Filios Calasantij
spatia charitatis dilatasset,
angustias illorum ferre non potuit.
Novum molitus Collegium,
in quo Præsuleus favor resideret.
Sed dum pro Scholis Pijs
nullum non movet lapidem,
incidit in sepulchralem,
Illo ipso die
quo exurgens MARIA
in montana Iudææ abijt,
ad montem supernæ beatitudinis evocatus
cecidit, ut abiret.

PRO-

PROVINCIA POLONA
SCHOLARUM PIARUM.
SUO PROTECTORI.
D. O. M.
Hoc lapide tegitur,
qui multos protexit;
Ecclesiam fortiter,
Patriam viriliter,
Scholas Pias clementer.
Magnus Nomine,
major meritis,
maximus gloriâ
CONSTANTINUS.
Divitem nactus fortunam,
DEI Matris Pauperes non despexit.
Intra pectus collegit omnes,
unus totius *Piæ Religionis* Collegium.
Cogitavit, ut absq; sollicitudine viverent;
vigilavit, ut quiescerent;
laboravit, ut vacarent.
Si quæ ingruerunt nubila,
Præsulea fugavit Cruce.
Si qui obvenerunt casus,
erexit Scipione.

E2 *Patrem*

Patrem egit,
& Confrater esse voluit,
ut in tutelam receptos non uno amaret titulô
Princeps Amor omnium.
Fovit manu benefica,
quibus corde favit.
Tres fabulæ numerârunt Gratias
ille profudit innumeras.
Nec tam ex ærario deprompsit,
quàm ex animo.
Alter AVGVSTINVS,
cor ad manum habuit
quidquid obtulit, ex corde dedit.
Inter tot beneficia
unicam duntaxat irrogavit injuriam,
quod diutius non vixisset.
Invidit tempori PRINCIPEM æternitas,
ut sola possideret, sustulit.
Nequit non illachrymari Pia Religio
quæ tanto orbata PROTECTORE,
manet pupilla.

SEPVLCHRALIS
MEMORIA

Perillustris olim & Admodum Reuerendi Domini,

D. M. STANISLAI
IVRKOWSKI,

S. Th. Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostolici, Ecclesiæ S. FLORIANI Præpositi, Opatouiensis, & S. Georgij in Arce Cracouien: Custodis, &c.

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Procancellarij dignissimi,

dum.

Magno omnium dolore, posthumoque obsequio, ad Ædes S. FLORIANI,

Iusta ei Funebria,

persoluerentur.

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEŻANOWSKI, Leopol: Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pòëseos Professore, victuræ perennitati

CONSECRATA.

Anno Æræ Christianæ 1669. Die 13. *Junij.*

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M. Typ.*

Regestr Panegiryków pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patria Caput

C

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria navis. producta.
3. Dolor Patria Æternus

E.

1. Encomium ad solennes Exequias

J

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa

K

1. Xiężycz adumbrowany.

L

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Seculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P

1. Parasceve Descripta

S

1. Splendor Consecratus

T

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

V

1 Vivat Aeternum impressum
2 Viva Flors seu Morti superstes

